53000

DISSERTATIO ACADEMICA DE FEBRE TERTIANA INTERMITTENTE.

CUJUS VERITATEM, DEO DUCE ET Auſpice , tueri conabitur , in Auguſtiſſimo Monſpelienſi Apollinis Fano , ab horâ octavâ ad meridiem , die menſis Auguſti anni 1731.

JOANNES GUILLEMEAU Niortenſis apud Pictones , Artium Liberalium Magiſter , & jam dudùm Medicinæ Alumnus.

PRÆSIDE

Illuſtriſſimo Viro D. D. JACOBO LAZERME , Regis Conſiliario & Medico , nec-non in almâ Monſpelienſium Medicorum Academiâ Profeſſore Regio digniſſimo.

Pro Baccalaureatu conſequendo.

MONSPELII,
Apud FRANCISCUM ROCHARD, Regis Typographum unicum,

M. DCC. XXXI.

PROFESSORES REGII ILLUSTRIS.

Illuſtriſſimus D D. PETRUS CHIRAC, Regi à Secretioribus Conſiliis, Archiatrorum Comes.

DISPUTATURI.

R. D. Franciſcus Chicoyneau, *Cancellarius & Judex.*

R. D. Joannes Bezac, *Decanus.*

R. D. Antonius Deidier, *Sti. Michaëlis Eques & Triremium Archiater.*

R. D. Petrus Rideux.

R. D. Antonius Magnol.

R. D. Henricus Haguenot.

R. D. Franciſcus Chicoyneau, *Patris Coadjutor.*

R. D. Gerardus Fitzgerald.

DOCTORES ORDINARII.

M. Euſtachius Marcot.

M. Antonius Fizes.

M. Hugo Gourraigne.

M. Petrus Fournier.

M. Petrus Guiſard.

M. Antonius Ferren.

M. Andræas Cantwel.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ILLUSTRISSIMO VIRO D. D.

PETRO CHIRAC,

Regi à Secretioribus Conſiliis & Archiatrorum Comiti.

CANCELLARIO AMPLISSIMO,

DECANO PLURIMUM VENERANDO.

PROFESSORIBUS Celeberrimæ Facultatis Medicinæ Monſpelienſis Illuſtriſſimis.

D. V. C.

VIRI CLARISSIMI,

Cui potiori jure Laborum Academicorum primitias offerre poſſem, cùm à vobis quidquid Medicinæ ſcio, acceperim, hoc igitur Opuſculum grato animo accipite, ſi quid in eo ſit laude dignum, veſtrum eſt; meum verò quidquid aut parùm elegans, aut veritati non perfectè conſonum. Quæſtionem intricatam ſanè & arduam à paucis Autoribus tractatam ſuſcepi, eam pro viribus enodare conatus ſum, an aliis quidpiam veriſimiliùs dixerim aſſerere non audeo; quidquid tamen ſit, VIRI CLARISSIMI, hoc Opuſculum ut debitæ ſummis veſtris meritis ob-

ſervantiæ pignus vobis offero, & inſuper ut aliqua ſtudiorum meorum ratio apud vos conſtet, quos ut Judices æquiſſimos metuo, & Parentes chariſſimos veneror. Submiſſo igitur cultu à vobis efflagitare liceat ut levidenſe hoc gratitudinis ſymbolum non aſpernemini, serenâ quæſo fronte tenuem hunc qualiſcumque ingenii noſtri fœtum ſuſcipite; hancce Diſſertationem ſalutaribus ſummæ benevolentiæ radiis colluſtrare nullatenùs gravamini, & contra malevolos deffendite, quam veſtro ſub nomine & patrocinio promulgamus. Felicitati meæ complementum acceſſiſſe arbitrabor ſi lucubrationes meas à vobis bono animo acceptas fuiſſe intellexero: hæc ſi conceſſeritis animum ad majora dabitis, veſtro nomini perpetuò conſecranda. Quid ſupereſt niſi ut Deum ter-Optimum deprecer ut vos ad Medicinæ profectum, populorum utilitatem & Alumnorum bonum & commoda diù ſoſpites & incolumes ſervet; hæc ſunt ſincera Vota illius qui cum ſummâ veneratione & obſervantiâ ſemper erit,

VIRI ILLUSTRISSIMI,

Veſtrûm omnium Cliens addictiſſimus & obſequentiſſimus
J. GUILLEMEAU.

Dabam Monſpelii die Auguſti anni 1731.

DISSERTATIO ACADEMICA DE FEBRE TERTIANA INTERMITTENTE.

FEBRIS quæ per vices impetum remittit, ut plena *Apyrexia* inter duos quoſque paroxiſmos intercedat, Intermittens à Medicis vocatur, nonnunquàm diuturnitate ægros non parùm moleſtat, & irritâ Medicorum ſolertiâ, in alteros graves commutatur affectus: Hujus diſtinctio ut potè ſolâ temporis differentiâ innixa, in varias claſſes facilis quas ſeorsùm hîc examini ſubjicere animus non eſt, cùm ea quæ de unicâ dicentur ſpecie cæteris conveniant, ac idcircò propoſito ſatisfeciſſe exiſtimamus, ſi Tertianæ Intermittentis hiſtoria, quantùm in nobis erit, accuratè exponatur.

Tertiana eſt ea Febris Intermittentis ſpecies quæ alternis diebus deſinit, atque recurrit. Dum paroxiſmus horas 12. non excedit Legitima, ſeù Exquiſita dicitur; ſi hoc tempus excedit Notha; ſi ultrà 24.

horas protrahitur Extenſa nuncupatur. Rursùs ratione typi Regularis eſt, vel Erratica; Regularis ſi tertiâ quâlibet die, eâdem horâ deſerat, ac recurrat; Erratica ſi acceſſiones horis diverſis redeant. Demùm ſi Febris ſingulis diebus ità recurrat, ut hujus acceſſiones altero quòque die vi & duratione pares ſint, duplex Tertiana vocatur.

CAUSÆ.

QUandòquidem Febris Intermittens à continuâ, intermiſſione tantùm diſcrepat, hanc à causâ Febris generali produci neceſſe eſt, at jam ab omnibus fermè Medicis acceptum eſt Febrem ab obſtructione capillarium oriri; igitur Intermittens ab eâ quòque obſtructione naſcetur, ita tamen ut hæc obſtructio permanens ſit in continuis, modo verò deſerat atque recurrat in Intermittentibus, ex quo ratio circuituum peti debet: Quâpropter Tertianæ Intermittentis cauſa eſt obſtructio capillarium alternis diebus deſerens atque recurrens ex quâ præternaturalis pulſus frequentia cæteraque Febris ſymptomata ſequuntur.

Hanc capillarium obſtructionem alternis vicibus recurrentem fibroſæ lymphæ partes concretæ, ſeu ſpiſſiores factæ præcipuè efficiunt, quæ ideò ad fluendum minùs idoneæ in capillaribus propter ~~nimiam~~ minimam horum diametrum remorantur: plura verò ſunt quibus humor lymphaticus ſpiſſeſcere poteſt.

I. Experientiâ conſtat homines lacus, paludeſque incolentes frequenter Febre Tertianâ corripi, imò quandòque Autumno in his locis epidemicè graſſari; quod à triplici causâ fieri exiſtimamus, 1o. vitio aëris. 2o. Ciborum. 3o. Aquarum. Cœlum inſalubre eſſe, nocuiſque particulis fœtum, etiam leviter attendenti

patet ; calore Æſtatis lacus , paludeſque exſiccantur, vi radiorum ſolis vapores & halitus ex ſtagnantibus aquis , ipſoque limo elevantur qui aërem corrumpunt. Cibis quoque peſſimis incolæ plerùmque veſcuntur fructibus , piſcibus præſertim in ſtagnis captatis, quorum caro inſipida , mollis, glutinoſa lymphas digeſtivas obtundit , vim ſtomachi infringit , digeſtionem pervertit. Demùm horum locorum aquæ non puræ, non manantes , at limoſæ , ſtagnatione corruptæ ciborum coctioni nocent , & ſanguinem partibus ſpiſſioribus gravidant à quibus Febris Intermittens oritur; ex eo fit ut harumce Regionum incolæ ſolâ aëris ac victus mutatione abſque ullâ Medicinæ ope ex hac febre ſæpè convaleſcant.

I I. Hæc Febris aëri nebuloſo , imbribus aſſiduis, & intempeſtivæ balneationi non rarò natales ſuos debet. Quanta ſit in humano corpore tranſpirationis utilitas nemo neſcit qui Sanctorii experimenta noverit , quibus patet hanc excretionem cæteras omnes ſenſibiles evacuationes longè ſuperare : Verùm à cauſis jam recenſitis , conſtrictis poris cutaneis tranſpirationis excretio cohibetur , futurum exindè ut moles humorum impenſè creſcat , quæ idcircò ſolidorum elateri majorem reſiſtentiam opponens minori vi premitur , ſeu in vaſis lenteſcit ; hoc ergo lentore motûs humores minùs diviſi ſtrictiùs coëuntes craſſeſcunt , ſeu partes obtinent quarum moles & diameter capillarium diametrum excedunt : accidit inſuper aërem nebuloſum , imbres aſſiduos , Balneationem in aquâ frigidiori humores in vaſis cutaneis circulantes ſuo contactu cogere poſſe ; ex eo etiam fit ut Febris Intermittens ſanata , paſſo frigore , vel manibus pedibuſque in aquâ frigidâ immerſis recrudeſcat.

I I I. Si ab humidis , frigidiſque exteriùs admotis humores ita ſpiſſeſcant , ut Febris intermittens oriatur , quantòmagis idem continget ab epotatis , aquâ aliiſque liquoribus glacie vel nive refrigeratis, cum interiùs aſ-

ſumpta humoribus circulantibus miſceantur; hâc enîm miſcelâ fit ut humores communicato motu de velocitate remittant, qui idcircò in vaſis lenteſcentes ſpiſſeſcunt, præſertim ſi corpore æſtuante potus gelidus hauriatur, cum liquida incaleſcentia citiùs congelari experientia doceat, id profectò evincit horripilatio quam potu gelido aſſumpto per univerſum corpus diffundi ferè omnes experiuntur.

IV. Loca humida ſubterranea inſalubria eſſe, & qui ea incolunt Febrem intermittentem contraxiſſe ſæpiùs experientia docuit: frigore pori cutanei conſtringuntur, excretio tranſpirationis inſenſibilis cohibetur & humores in vaſis cutaneis circulum ſuum agentes coguntur, humidis verò halitibus per aërem diffuſis vaſorum tonus, viſque ſyſtaltica debilitantur, ac proinde liquida lentiùs provoluta, minùs preſſa & attrita ſpiſſeſcunt, pari ratione Febris intermittens producitur ſi tempore ſomni ventus frigidus, humiduſque corpus denudatum perflarit, cùm tùnc tranſpirationis excretio maximè cohibeatur, & humores ad vaſa cutanea uberiùs appellentes contactu aëris frigidi concreſcant.

V. Fructus acerbi & immaturi Tertianam intermittentem frequentiſſimè pariunt, horum partes arctiùs connexæ, mole nimiâ præditæ lymphis digeſtivis ingreſſum denegant, ventriculi preſſioni non facilè cedunt, ac non ſatis diviſæ ex ejus cavo ad inteſtina truduntur, ubì bile, ſucco Pancreatico & inteſtinali parùm attritæ, elaboratæ molem nimiam & rigiditatem ſervant, ac tandem vias chyli permeantes crudæ & prorsùs indigeſtæ ſanguini admiſcentur, cujus partes cogunt, arctiùſque ſtringunt, lymphaticas præſertim utpote gelatinoſas, facilè concreſcentes, & in quas major chyli portio commutatur. Imò fructus quidam ſunt qui etiam maturi ob nimiam partium molem, arctioremque contactum, aut craſſam indolem ſtomacho minus obtemperant, & in Febrilem materiam convertuntur, ut Malum Armeniacum, Pepo, Cucumis, &c. præſer-

tim ſi glacie vel nive refrigerata fuerint.

VI. Febris tertiana, eos ſæpè occupat qui formidine repentinâ ingentique terrore, vel quovis altero gravi animi pathemate corripiuntur. Quantùm verò animi motus corpus afficiant nemo propriâ experientiâ neſcit, his ſubitò imminutis cordis vigore, omniumque vaſorum elatere, motus vitalis ubique languet, undè ob inertem vim vaſorum ſyſtalticam humorum lentor, ſtagnatio, attritionis defectus, tandem ſpiſſitudo, exſuſcitato dein cordis motu, & vaſorum elatere, fluida magis premuntur, atteruntur, ad motum citatiorem concitantur; verùm humorum partes quæ morâ arctiùs unitæ fuerant, vaſorum preſſioni & elateri minùs obſequentes, molem & ſpiſſitudinem ſervant; ac idcircò majori vî & longiori tempore opus eſt ut è vaſis minoribus ad majora redeant, ubì reliquo ſanguini admixtæ ejus fluxilitatem imminuunt, parteſque lymphæ ~~glutinoſas~~ denſant. gelatinosas

VII. Lædi plerumque digeſtionem & exinde cruditates in primis viis colligi, quæ plurium Morborum fons & origo ſunt, ita apud omnes Medicos conſtat, ut nihil in Medicinâ certiùs, harum partes quæ figurâ & diametro venarum lactearum orrificiis congruunt à fluidis ad inteſtina perpetuò confluentibus in venas lacteas raptæ ad communem ſanguinis oceanum perducuntur, cujus liquiditatem magnopere imminuunt parteſque lymphaticas denſant, mole enim ſuâ ac duritie gelatinoſæ ſanguinis partis expanſionem præpediunt, ramos arctiùs ligant, eique ſoliditatem quamdam conciliant.

VIII. Ut integra ſervetur œconomia animalis, natura variis in locis organa collocavit, in quibus varii humores ad varios uſus continuò ſecernuntur, ſi ordo ſecretionum pervertatur, fiet neceſſario ut ea quæ excernenda ſunt retineantur, ac in vaſis ſanguiferis cumulentur, unde quantitas humorum prætermodum augebitur, datâ autem majori humorum copiâ, major

quoque reſiſtentia vaſis opponitur, quo fit ut humores ægriùs propellantur, minùs atterantur, magis denſentur; rursùs quoniam varii ſucci tanquam inutiles excernendi retinentur, his retentis craſis humorum neceſſariò alteranda, ac idcirco maſſa humorum particulis craſſis ad fluendum parùm idoneis fœta ſpiſſior evadet. Id demonſtrat Febris intermittens quæ à lacte poſt partum retento in mammis & utero copiâ non ſufficienti ſecreto ortum habet.

Demùm Febris intermittens à viru Syphillitico, & ſcrophuloſo plerùmque producitur, item eos faciliùs, ſæpiùſque affligit qui cachectici ſunt, vel prava humorum craſi fruuntur, quid verò cachexia aliud præter ſanguinis & lymphæ præſertim ſpiſſitudinem ſerique exceſſum ſignificat, quæ habitu corporis tumido, male colorato, facieque in primis pallidâ & decolore indicatur, ſimiliter virus ſyphilliticum & ſcrophuloſum partem ſanguinis lymphaticam præcipue corrumpit, ut ex utriuſque affectibus colligi facile poteſt. Ex dictis itaque concludendum partes lymphæ concretas Febris intermittentis cauſam eſſe præcipuam.

Expoſitis Tertianæ intermittentis cauſis, ordo expoſtulat ut ejuſdem ſymptomata proſequamur; verum cum in parte periodi deteriori accidant, ratio circuituum prius inveſtiganda. Quæſtio admodùm intricata, & graviſſimis difficultatibus plena, nec idcircò prætereunda etſi nec mihi, multo minus aliis me ſatisfacturum confidam, verùm ut cum methodo procedamus, quædam præmittenda eſſe cenſuimus.

POSTULATA.

I.

CORpus humanum machina hydraulica eſt ex vaſis, ſeu tubis flexilibus, elaſticis, mirificè implexis, & convolutis conflatum.

II.

Vaſa ratione liquidi contenti, Uſus & Fabricæ varias habent denominationes, hinc Sanguinea, Lymphatica, Nervea, Secretoria, &c.

III.

Sanguinea omnium præcipua, [ut pote ſanguinem, fluidum totius corporis præſtantiſſimum continentia,] in arterias & venas dividuntur; ſanguis arteriis è corde ad partes transfertur, venis verò è partibus in cor reducitur.

IV.

Quâ proportione arteriæ à corde recedunt ramos è lateribus emittunt, & harum diameter pari proportione minuitur, ita ut arteriæ majores & ſenſibiles quæ conicæ ſunt in tubos inſenſibiles cylindricos abeant; idem in venis obſervatur.

V.

Rami qui è truncis arteriarum abſcedunt duplicis ſunt ſpeciei, alii ſanguinei quia partem ſanguinis purpuream, lymphatici alteri quia lympham, ſeù partem ſanguinis albam admittunt; è lymphaticis vaſa ſecretoria oriri exiſtimamus.

VI.

Arteriæ ramos omnis generis emittere non deſinunt, donèc tenues admodùm & inſenſibiles in tubos cylindricos abierint, qui venarum principium efformant.

VII.

Vaſa, fluida contenta ſuo elatere premunt, atte-

runt, & ad motum progreſſivum cogunt ; fluida verò dùm fluxilia ſunt & debitâ craſi prædita vaſorum preſſioni cedunt & juxtà eorum axim progrediuntur.

V I I I.

Celeritas fluidorum axes vaſorum percurrentium diverſa eſt, 1°. ratione vaſorum. 2°. ratione diſtantiæ à corde.

Fluida multò celeriùs in vaſis ſanguineis quàm lymphaticis moventur, imò major eſt celeritas ſanguinis arterioſi quàm venoſi. Demùm ſanguis qui celerrimè in trunco aortæ movetur, placidè lentèque in extremis arteriolis progreditur. Hæc motus diminutio triplici fit de causâ : 1°. ob numerum ſectionum & inflexionum arteriarum, unde innumeri efformantur anguli ſanguinis velocitatem retardantes. 2°. Quâ proportione creſcit numerus ramorum, eâ quoque textus & elater arteriarum minuuntur. 3°. Multiplicatis arteriarum ramis ſuperficies earum interior, columnæ verò ſanguinis exterior pari proportione multiplicatur, ſeu quod idem eſt plures ejuſdem ſanguinis partes pluribus vaſorum punctis applicantur, & idcircò multò major motûs communicatio & deperditio fit, ex his igitur liquet, ~~liquida~~ quæ ſunt in majori à corde diſtantiâ lentiùs moveri.

I X.

Fluida in vaſis contenta perpetuò preſſa, impulſa juxtà vaſorum axes ita progrediuntur, ut ad idem redeant corporis punctum, undè profecta ſunt. Is motus ſanguinis circulatio dicitur, cujus punctum copulans cor ipſum eſt ſanguinem ad omnes corporis partes ſuâ contractione mittens, eundemque in dilatatione recipiens. Notandum tamen totam humorum molem quæ à corde contracto ad partes impellitur

ad

ad ipſum non redire, portio enim quæ vaſa ſecretoria extrà corpus hiantia, ingreditur utpote extra vias circuitûs poſita ad cor reduci non poteſt.

X.

Sanguinem à corde contracto in arterias appenſas miſſum in ipſum redire legibus circulationis notum eſt, nec interim ſpatium temporis quod quælibet ſanguinis pars in circuitu abſolvendo impendit certò notari poteſt, cùm id è quantitate ſanguinis, ejuſdem celeritate, & majori vel minori vaſorum inflexione viam longiorem, aut breviorem efficiente ſit deducendum, quæ accurato calculo determinari minimè poſſunt.

X I.

Partes ſanguinis ad cor intrà datum tempus redeunt, aliæ quidem citiùs, alteræ tardiùs. Hujus poſtulati veritas aſſiduo cordis motu, variâ vaſorum ſectione & inflexione demonſtratur.

L E M M A I.

Febris aliquid ſupponit in vaſis ſanguineis contentum, ſanguinis fluiditatem pervertens, & capillarium obſtructionem efficiens.

Quandiu humores debitâ craſi præditi fluxiles ſunt, tandiu ubique liber & æquabilis eſt ſanguinis circuitus, ut liquet ex Poſtul. V I I. alteratâ verò horum fluiditate difficilis & inæqualis in capillamentis futurus, quia exigua eorum diameter partes humorum craſſas mole majores liberè & expeditè fluere non ſinit, ac per conſequens ex eo futurum ut capillamenta, ſeu ultimi arteriarum rami obſtruantur, verùm obſtructis capillamentis ſanguis per truncos ſeù

vaſa majora ac breviora celeriùs ad cor reducitur, cujus dilatatio & contractio pari momento accelerantur, fiet igitur Febris ab eo quod ſanguinis fluiditatem tollit, ſeu partes ejus denſat & capillamentorum obſtructionem parit.

LEMMA II.

FEbris ſemèl accenſa non deſinit, niſi materia capillamenta obſtruens attrita diſcuſſa fuerit, ſeu è vaſis ſanguineis minimis in majora, vel in ſecretoria & exinde extrà corpus ejecta, aut demùm in lymphatica tranſlata, adeò ut penitùs extrà vias circulationis non ſit.

Quoniam Lemmate præcedenti Febrem à capillamentis obſtructis oriri dictum eſt, ex eo ſequitur, diſcuſsâ materiâ obſtruente & capillamentis liberis factis Febrem non eſſe perſeveraturam, cùm ipſa ſit harum obſtructionum effectus: materia verò obſtruens repetitis vaſorum pulſibus, iteratis ſanguinis preſſionibus ac colliſionibus attrita, ſeu in minores particulas diviſa, partim à fluento purpureo rapitur, major autem pars Lymphatica ſubit, exindè ſi ſat tenuis ſit in ſecretoria quibus è corpore ejicitur, ſi minùs diviſa ac tenuis fuerit, axim lymphaticorum proſequitur, ubi nullum febrilem æſtum concitare poteſt, 1°. quia lymphæ circuitum abſolutè non impedit, ſed tantùm retardat; 2°. quia Febris in accelerato ſanguinis circuitu conſiſtit, ſed juxtà Poſtulat. VIII. lentus eſt motus lymphæ, velocior ſanguinis vaſa ſua percurrentis; Febris igitur non ab obſtructis lymphaticis, ſed capillaribus ſanguineis oritur, adeòque materia lymphaticos ductus ingreſſa nec Febrem concitat, nec eſt penitùs extrà vias circulationis, quod erat demonſtrandum.

LEMMA III.

PArtes materiei obſtruentis quæ à fluento purpureo rapiuntur æſtum febrilem concitare nequeunt. Materia capillamenta obſtruens in partes mole & figurâ admodum diſcrepantes dividitur, quæ tenuiores ſunt, [utpotè ad fluendum aptiores] in centro vaſis juxtà axem diſponuntur, ubi major eſt fluidorum velocitas, quæ verò craſſiores & figurâ ſuâ ad motum minùs idoneæ ad circumferentiam pelluntur, & orificiis lymphaticorum occurrentes horum cavitates ingrediuntur; at partes tenues 1o. cæteris rariores ſunt, quia perfecta non fit materiei obſtruentis diviſio. 2o. Mole & fluiditate parùm à partibus ſanguinis diſcrepant. 3o. In vaſis ſanguiferis ob motûs celeritatem uniri non poſſunt, ut molem & craſſitiem recuperent; ſanguinem igitur ſpiſſare nequeunt ut obſtructio capillamentorum redeat. Fatendum tamen has partes ipſo ſanguine minùs mobiles, ad ſpiſſitudinem contrahendam eum diſponere; rursùs novus materiei in ſanguinem proventus hanc diſpoſitionem fovet, etenim è foco febrili aliqua ad ſanguinem mittitur materia, quæ quidem partitis vicibus & parcâ quantitate traducta Febrem non parit, ſed ad ipſam contrahendam diſponit. Ab his profectò provenit humorum ſpiſſitudo quam conſequuntur laſſitudines, tarditas pulſûs, pallor totius corporis, quæ extrà paroxiſmum febrilem in ægris obſervare licet.

PROPOSITIO.

PArtes materiei, quæ primum Febrilem paroxiſmum peperit, vaſa lymphatica ingreſſæ, ac in eis præ

motus lentore iterùm conjunctæ , ad ſanguinea vaſa redeuntes alteram acceſſionem pariunt , iterumque ſimiliter in fine acceſſionis diviſæ , ac lymphatica ingredientes , exinde ad ſanguinem pari temporis intervallo redeunt , & acceſſiones febriles efficiunt eodem temporis intervallo recurrentes.

Vaſa lymphatica ex arteriis capillaribus oriunda, in venâ ſubclaviâ ſiniſtrâ terminari docet Anatome; liquet præterea ex Lemm. II. lympham intra vaſa ſua progredientem ipſo ſanguine lentiùs moveri , futurum exinde ut præ motûs lentore partes attritæ coëant, ſeu partes lymphæ gelatinoſæ in vaſis ſanguineis diviſæ iterùm concreſcant , ac eamdem quam antea habebant ſpiſſitudinem adipiſcantur, quæ ſic ſpiſſæ & concretæ ſanguini admixtæ circulationis legibus ad pulmones & cor deferuntur , indeque in arterias projectæ per univerſas corporis partes diffunduntur , ubi capillamentorum obſtructionem de novo pariunt , Febremque accendunt , donec diviſæ vaſa lymphatica ingrediantur. Verùm tametſi [ut ex Poſtul. X. colligitur] tempus quod lympha in ſuo circuitu abſolvendo impendit accurato calculo notari non poſſit , nihilominùs tamèn fixum & determinatum impendere certum eſt , ex eo quoque fit ut ordo circuituum idem ſervetur. Dum cor determinatum pulſuum numerum tempore determinato efficiens , eamdem humorum copiam intra idem tempus per arterias ad partes mittit , modo eadem ſit humorum quantitas & conſiſtentia , ſeu ad fluendum aptitudo , modo partes lymphæ concretæ eumdem ferè ſpiſſitudinis gradum retineant.

Nec contra hypotheſim noſtram quidquam facit partium ſpiſſarum jactura , quæ tum ſecretoriis vaſis extra corpus in quâlibet acceſſione ejiciuntur , aut à fluento purpureo raptæ adeò atteri poſſunt, ut acceſſioni producendæ impares prorsùs ſint, cùm hæc jactura à foco Febrili reſarciri poſſit, unde nova materiei quanti-

tas ſanguini ſuppeditatur, quæ priori adjuncta ejuſdem jacturam reparat, unde duratio Febris. Verum ſi focus Febrilis primâ acceſſione fere exhauſtus fuerit, acceſſio quolibet circuitu imminuetur, & dein intra paucos dies deſinet, imò ſi tota materia in primâ acceſſione ſanguini admixta hujus ſit ſpiſſitudinis ut atteri & pœnitus dividi poſſit, quoniàm ſic diviſa ductus ſecretorios ſubit, & tota ejicitur, Febris non amplius redit.

COROLLARIUM I.

Ex dictis liquet diverſas Febris intermittentis ſpecies, à vario ſpiſſitudinis gradu procedere, quæ ſpiſſior eſt materia longiori temporis intervallo indiget, ut iterum ad ſanguinem redeat, quæ minùs ſpiſſa minori, unde Quartana, Tertiana & Quotidiana intermittens, dum verò quantitas materiei Febrilis exſuperat acceſſiones ſingulis diebus extenduntur, & Febris intermittens brevi in Continuam mutatur. Demùm ex expoſitis adhuc patet cur eodem ſervato victûs regimine acceſſiones iiſdem ſemper diebus, imò & dierum horis redeant, cum tùnc idem intra datum tempus pulſationum cordis & arteriarum numerus futurus ſit, & fere eadem perſtet humorum conſiſtentia, quibus fit, ut ſemper ſpatium idem à fluidis ſpiſſis eodem tempore percurratur. Verùm ſi error quidam ſit in victû; Si cibi copioſiores, aut pravæ indolis ingerantur, Si liquida ſpirituoſa potentur, ſi æger gravi animi motu corripiatur, ſi nimis ſe excerceat, mutanda eſſe, humorum craſim & circuitum, quis non videt, quibus ordo acceſſionum pervertetur.

COROLLARIUM II.

Sequitur 2o. Febrem intermittentem poſt aliquot circuitus eſſe ceſſaturam ſi materiei ſpiſſitudo tanta non ſit, ut preſſioni vaſorum diù reſiſtere queat, quâ-

libet enim acceſſione hæc materia ſanguini admixta per pulmones, cor & arterias provoluta, pluribus potentiis ſubjicitur, quibus atteri ac dividi neceſſe eſt; quâpropter ſæpiùs attrita ad hunc diviſionis gradum pervenit, ut ductus excretorios ex ipſis lymphaticis oriundos ingrediatur, quibus extrà vias circulationis ejicitur, inde Febris intermittens modo ſudore, non numquam vomitu, aut largo alvi profluvio ſanatur, prout ductus excretorii harum partium patentiores materiam priùs diviſam ſecernunt. Si major fuerit materiei ſpiſſitudo, ſeù partes ſpiſſæ majori vi coëant, magis ſuæ ſeparationi reſiſtent, & Febris longior, pertinaciorque erit. Rurſùs ſi hæ partes in ductibus lymphaticis lenteſcentes mole & ſoliditate ad coëundum aptiores ulteriùs ſpiſſeſcant, cum ultrà progredi nequeant, ſiſtent, nec in ſanguinem redibunt, ex eo fit ut Febris intermittens obſtructiones viſcerum abdominalium adeò frequenter poſt ſe relinquat. Demùm nihil veròſimiliùs ad noſtram Febris intermittentis Doctrinam comprobandam in medium afferri poteſt, quam id quod in Febre Quartanâ frequenter evenit, ægri enim ſcabie erumpente ex hâc convaleſcunt, evaneſcente verò ſubitò ſcabie, aut topicis intùs repulſâ Febris Quartana recrudeſcit, cur vero Febris erumpente ſcabie deſinit, niſi quia partes lymphæ ſpiſſæ vi & impetu ſanguinis circulantis in ductus lymphaticos cutaneos intruſæ, ibi propter vaſorum exilitatem, & inflexiones retinentur, ac idcircò reliquus ſanguis his partibus orbatus liberum & æquabilem in capillamentis circuitum abſolvit, verum intùs repulſæ, iterùmque ſanguini mixtæ capillarium obſtructionem pariunt, & Febris priùs ſopita redit.

SYMPTOMATA.

ANimus non eſt omnia Febris Tertianæ Symptomata exponere, quædam ſeligemus, quorum explicatio Doctrinam Febris intermittentis jam expoſitam non parùm confirmabit.

I. Quoniam partes materiei Febrilis finitâ priori acceſſione ductus lymphaticos ingreſſæ craſſitie pares non ſunt, & diſpares orbes deſcribunt, inde fit ut aliæ aliis citiùs in ſanguinem redeant, quæ tametſi capillarium obſtructionem quâ Febris inducitur, parere nequeant; partes tamen ejus ligant, ad fluendum minus idoneum efficiunt, ex eo fit ut ſanguis in pulmonum contextu lenteſcat, vaſa nimis repleat, Fibraſque nerveas diſtrahat, quarum diſtractione fit ut major liquidi ſpirituoſi influxus ad muſculos reſpiratorios per vices avocetur, unde major quoque pectoris dilatatio, oriſque mechanica diductio, ut major ſit aëris ad pulmones deſcenſus, cujus ope pulmones à ſanguine lenteſcente ſubleventur, hinc oſcitandi neceſſitas. Sanguis pari ratione in contextu muſculorum lenteſcens Fibras ipſorum moleſte diſtrahit, pondere veluti aggravat, unde laſſitudines ſpontaneæ oriuntur, quibus natura meliùs occurrere non valet, quam muſculos ſucceſſivè contrahendo, ſeu artus modò extendendo, modò verò flectendo, ut validis ac repetitis contractionibus ſánguis lenteſcens è muſculis uberiùs exprimatur, hinc pandiculationes. Demùm quia partes lymphæ Fibroſæ ſpiſſiores quolibet momento in vaſa ſanguifera inſtillant, ſanguinis craſſities etiam augetur, quo fit ut ipſe cordis & arteriarum pulſibus magis reſiſtat, lentiùs intra arterias progrediatur, tardiùs per venas in cor redeat, unde tarditas & raritas pulſûs cum debilitate conjunguntur, liquido ſpirituoſo ſegniùs & parciùs ad cor influente.

II. Auctâ partium craſſarum in ſanguine copiâ ſpiſ-

ſitudo creſcit, ſeu partes ſanguinis coactæ molem majorem adeptæ pulſui cordis, vaſorum preſſioni minùs obſequioſæ in extremis capillaribus lenteſcunt, unde major à fluidis vaſorum affrictus, quo moleſta horroris ſenſatio efficitur: verùm ob majorem vel minorem ſanguinis craſſitiem, circuitus magis aut minùs in capillaribus retardatur, ac idcircò modò horror, quandòque frigus in principio paroxiſmi; frigus enim erit ſi motus ſanguinis in vaſculis ſit interruptus, & ipſe quaſi per ſaltus progrediatur, ita ut alternâ vice nervis, modò ab arteriis ſanguine turgidis, compreſſis, modò verò progrediente ſanguine ejuſmodi compreſſione liberatis, muſculi moveantur, vel potiùs convellantur, dato autem hujus craſſitiei gradu quo frigus efficitur, ſanguinis velocitas in capillaribus decreſcet in ratione ~~reciprocâ~~ composita ſectionum arteriarum & ipſarum diſtantiæ à ſiniſtro ſinu cordis, adeòque frigus extremos artus primò corripiet, utpote à corde maximè diſtantes, & ad quos ſanguis niſi pluribus ſuperatis obicibus venire poteſt, ab eodem ſpiſſiori ſanguine in partibus à corde remotioribus lenteſcente fit livor Unguium & Labiorum. Rursùs ſi partes ſpiſſæ arteriolas ſubeant perioſtium componentes fiet ejuſdem Vaſorum infarctus, repletio magna, diſtractio vehemens, ac producetur doloris ſenſus, quaſi Oſſa contunderentur, vel frangerentur; ex eâ humorum craſſitie naſcitur etiam frigus ſpinam dorſi occupans, quoniam enim propè Vertebras dorſi innumeræ arteriolæ diſtribuuntur, tam ex intercoſtalibus quam lumbaribus oriundæ, quæ partes ſpiſſas craſſaſque non ſecùs ac cæteri arteriarum rami admittere poſſunt, in his quoque idem frigoris ſenſus fieri poteſt.

Dum corpus alget, dum omnes partes frigore concutiuntur æger nonnunquàm nauſeat, aut vomiturit, tunc præpedito ad partes externas cruoris appulſu, majori quantitate ad internas derivatur, quo fit ut arteriolæ tunicas ventriculi permeantes uberiori ſangui-

ne

ne turgidæ ipſum ad ſtimulum quemcumque ſentiendum aptiorem reddant, rursùs arteriolæ ventriculi majori cruoris copiâ plenæ fortiùs oſcillant, & ſolito more magis calent; his igitur de cauſis materiæ indigeſtæ in ejus cavo contentæ, commotæ & expanſæ tunicam nerveam ſtimulant & nauſeam aut vomitum procreant; pravus verò oris ſapor ex indole materiei in ſtomacho contentæ, halitus per œſophagum emittentis provenit. Demùm ob minorem ad partes externas ſanguinis appulſum, & ejuſdem ſpiſſitudinem fit ut imæ fauces areſcant, & ſitis intenſa oriatur, quia ſalivæ ſecretio minuitur, & ſanguis uberiùs ad pulmones affluens, ibique fervorem concipiens aërem expirandum calefacit.

Inſuper tot obſtructis capillaribus ingens fit in circuitu ſanguinis turba, niſus vehemens ſolidorum in fluida ſpiſſa lenteſcentia, renixus eorum in ſolida, inæqualis humorum derivatio ac diſtributio, quæ ſine maximâ vaſorum diſtractione contingere nequeunt, unde anxietates: interìm quoniam cor pulſare non deſinit, humores ſpiſſos & lenteſcentes indeſinenter etiam premit, adeòque quidquid eſt in ſanguine ad fluendum aptiùs ad vaſa majora & liberiora derivatum citiùs ad venas transfertur, citiùſque in ſinus ejuſdem reducitur, unde frequentior cordis & arteriarum pulſus cum calore conjunctus qui non ab ægro algente ſed ab adſtantibus percipitur, pulſus tamen parvus eſt & contractus ob minorem copiam ſanguinis cor ingredientis, & tunicarum arteriæ rigiditatem, vaſculis eas componentibus ſanguine ſpiſſo & lenteſcente repletis.

III. Quâ proportione contractio cordis acceleratur, multiplicantur ſolidorum in humores ſpiſſos ictus & preſſio, ac proinde quæ faciliùs ex humoribus ſolvi poſſunt ſoluta & liquata in vaſa libera & majora rapiuntur, quæ majori humorum mole ſtimulata ſuos quoque ictus intendunt, ac idcircò fluidum

cruentum citiùs & uberiùs in venas tranſlatum in cor reducitur eâ ratione frequentiùs & validiùs contrahendum, ſanguis igitur à corde impetu majori in arterias miſſus, vi quoque majori tunicas vaſorum impetet atque vibrabit, ergo calor cum Febre intendetur, at juxtà Poſtul. VIII. celeritas liquidorum vaſa permeantium diverſa eſt ratione diſtantiæ à corde, ergo calor in partibus internis utpotè cordi proximioribus primò augebitur, & ex iis paulatim ad remotiores & externas diffundetur.

Mirùm ſanè evenire quandoque frigus paroxiſmi calorem [ſaltem naturali majorem] non excipere, ſed ipſius loco dolores in partes membranoſas diffundi cum levi pulſus alteratione, ut obſervare nobis tantùm bis contigit, id fieri crediderim à gradu concretionis partium fibroſarum lymphæ, quæ adeò leviter conjunguntur ut facilè ſolvi & atteri poſſint, ſicque obſtructio capillarium citiùs ſublata, Febrem & reliqua eam comitantia producere nequit, verùm à motu febrili major partium obſtruentium ſolutio facienda; ergo partes quæ ſine prægreſſâ Febre ſolvuntur craſſiores adhuc & ſpiſſiores ſunt, ut arterias lymphaticas expeditè permeare poſſint, exinde harum infarctus, dilatatio, & membranarum diſtenſio dolorifica, quæ omnia evaneſcunt dum hæ partes venas lymphaticas attingunt.

IV. Accenſo febrili motu ſanguis vi majori à corde in aortam projicietur, ergo ejuſdem rami pari momento dilatandi, ac proinde pulſus validior, velociorque erit; rursùs accelerato circuitu ſanguis ad ſuperiora crebriùs appellens per partes capitis internas & externas copioſiùs diffundetur, exinde faciei rubor, oculorum ſplendor, graviſque capitis dolor ſuboriuntur, quibus vigiliæ pertinaces accedunt, obſtructis enim capillaribus quæ in interiora derivatur ſanguinis portio mobiliſſima eſt, utpotè quæ difficiliùs tardiuſque lenteſcit, ergo carotides vertebraleſ-

que arteriæ copioſiori tenuiorique ſanguine irrorantur quarum ramuli difficiliùs rariùſque quàm reliqui corporis capillaria, in primis à corde ſive aortæ trunco remotiora infarciuntur, unde copioſior ſpirituum ſecretio, quod ita fieri earumdem arteriarum origo ab aortâ, vel locis aortæ proximis, ſitus ad rectam lineam maximè accedens abundè docent. Auctâ ſpirituum quantitate, arteriiſque cerebri validiùs crebriùſque oſcillantibus copioſior fit ſpirituum in nervos influxus, qui continuò tenſi ad objectorum impreſſiones ſuſcipiendas continuò ſunt parati, quâ nervorum diſpoſitione ſtatus vigiliæ fit.

V. Ob velociorem ſanguinis ad pulmones appulſum nimiamque vaſorum rete pulmonare componentium exilitatem, & in primis inflexionem fit ut ſanguis pari velocitate vaſa pulmonum non permeet, in ipſis hæreat & ſtagnet, ex quo validior nervorum pulmonarium ſuccuſſio, & veſiculis aëre dilatandis reſiſtentia major ac proinde accelerata & difficilis erit reſpiratio, ex eodem circuitu intra vaſa capillaria perturbato anxietates oriuntur ægros tantopere divexantes.

V I. Accelerato ſanguinis circuitu magnus fit fluidorum in ſolida impetus, æqualis ſolidorum in fluida reactio, unde preſſio, agitatio, rotatio globulorum, ſpirularum verò aëris vis elaſtica major, totiuſque fluidorum maſſæ fervor, æſtus, expanſio maxima, ingens ſeri diſſipatio, reliquarum partium confuſa permixtio, quibus ſecretiones perverti neceſſum eſt, urina igitur pauca, rubra, flammea in vigore acceſſionis excernetur.

V II. Sanguis in vigore paroxiſmi febrilis à corde in aortam ejuſque ramos maximâ vi projectus, in capillamenta obſtructa pari momento pellitur, is ergo & humorem ſpiſſum obſtruentem & vaſa obſtructa validè impetet, donec iteratis percuſſionibus, & repetitis vaſorum ictibus humor ſpiſſus ſolvatur, ſeu in

partes minores dividatur, quarum tenuiores juxtà Lemm. II. à fluento purpureo rapiuntur, craſſiores verò oſtia lymphaticorum orgaſmo febrili aliquatenus ampliata ſubeunt, ſicque capillamentis ſenſim & ſine ſenſu obſtructione liberatis, placidus fit ſanguinis circuitus; verùm capillamenta citiùs aut ſegniùs obſtructione liberantur, juxtà copiam, & indolem materiei obſtruentis, unde acceſſionis duratio brevior aut longior.

Inſuper quoniam acceſſio quælibet materiei ſpiſſæ capillamenta obſtruentis diviſione intermittit, futurum exinde, ut hæc materia ſæpiùs ſoluta in particulas ſat tenues, ductus excretorios [totius corporis minimos] permeare valentes tandem dividatur, ac propterea ſudor qui primis diebus nullus erat, dein copioſus in fine paroxiſmi movetur: fatendum tamen ſudorem in declinatione acceſſionum erumpentem non à ſolis materiei diviſæ particulis fieri, verùm adhuc à ſero è ſinu ſanguinis exeunte, quo fit ut Febris non ſemper ſudore ſolvatur etſi copioſus ſit: nec à ſolo ſudore, verùm adhuc à vomitu vel alvi profluvio æger Febris ſanationem obtinet, dum vaſa excretoria ventriculi, vel inteſtinorum æſtu febrili dilatata & ampliata copioſam ſecretionem moliuntur, morbifica materia ſemel in cavum ventriculi aut inteſtinorum delapſa vi ſtimulante prædita, vomitorii aut purgantis medicaminis vices gerens ductus excretorios emungendo excretionem continuò promovet, nam imminutâ fluidis appellentibus reſiſtentiâ, major ad memoratos ductus fit humorum appulſus, & ſanguis ſæpiùs perluens arteriolas è quibus vaſa excretoria humorem hauriunt, materiâ morbificâ in ipſis ſe exonerat.

Demùm pacato æſtu febrili, & ſanguinis circuitu ad ſtatum veluti naturalem redacto, ægri aliqualem virium lapſum patiuntur & membra moleſto quodam pondere oppreſſa perſentiunt, quæ partium mobilium,

ac liquidarum jacturâ, nec non violentâ vaſorum minimorum diſtractione fieri opinamur.

DIAGNOSIS.

EX allatis ſuperiùs in definitione ſatis ſuperque patet Febris tertianæ intermittentis Diagnoſis, ejuſdemque differentiæ ex iis quæ eodem loco dicta ſunt peti poſſunt, quæ cuncta tam ſcitû facilia ſunt ut iis ulterius immorari inutile fore meritò exiſtimamus; nec tamen primâ invadente acceſſione certa haberi poteſt hujus Febris Diagnoſis ſed expectandus alterius acceſſionis reditus, ut cognito intermiſſionis intervallo ſpecies Febris determinari poſſit, iis fides non adhibenda qui Tertianam pronunciant quoties acceſſio cum vehementi rigore carnes quaſi pungente incipit, quem vomitus billioſus citò ſequitur, iiſque ſuccedit calor multus acer & mordax cum ſiti intolerabili, reſpiratione acutâ & laborioſâ, & vehementi capitis dolore, cum hæc in cæteris Febrium intermittentium ſpeciebus, & in Quartanâ præſertim, fieri non rarò contingat, igitur ut certa ſit Febris Tertianæ Diagnoſis ordo circuituum priùs noſcendus.

Medico quoque noſcendum ubi focus materiei Febrilis reſideat, an à vitio primarum viarum, aut ab evacuatione ſuppreſſâ, vel à lue quadam, an demùm ab obſtructo viſcere quopiam Febris Tertiana oriatur, quæ à prægreſſis, concomitantibus, ipſiuſque ægri relatu Medicus aſſequi poterit, ut Curationem rite inſtituat.

PROGNOSIS.

FEbris Tertianæ Prognoſis ab Hypocrate deſumi poteſt Aphoriſmo LIX. Sect. IV. ſic legitur, *Tertiana exquiſita ſeptem ad ſummum circuitibus judicatur.* & Aphor. xliii.

ejuſd. Sect. inquit, *Febres quocumque modo intermiſerint periculum abeſſe ſignificant*; id tamen intelligendum eſt de Tertianâ Febre omnis malignitatis experte, dantur enim Febres Tertianæ malignæ, quæ tametſi evidentes habeant intermiſſiones, ægrotantes tamen non raro de medio tollunt; imò Febrem Tertianam lethalem quandoque fuiſſe docuit experientia ſive ob errorem ab ægro commiſſum, ſeu ob medicantis culpam qui medicamina validiora morbo & ægri viribus pœnitùs contraria preſcripſit: inſuper tantum eſſe poteſt Tertianæ frigus, ut coactâ cruoris maſſa humores in partibus principibus lenteſcentes, harum vaſa infarciant & majori ex parte obſtruant, unde totiùs œconomiæ clades, ut Harvœus de motu cordis teſtatur, Cap. XVI. his verbis: *In Tertianæ Febris principio morbifica cauſa cor petens, circa cor & pulmones quando immoratur anheloſos, ſuſpirioſos, & ignavos facit, quia principium aggravatur vitale, & ſanguis in pulmones impingitur, incraſſatur, non tranſit, hoc ego ex diſſectione illorum qui in principio acceſſionis mortui ſunt expertus loquor.*

Inſuper Febris Tertiana affectus graves & lethales, ut hydropem, viſcerum obſtructionem, & ſuppurationem quandoque parit, & idcircò omnis periculi ſemper immunis non eſt; verùmtamen Febris hæc raró per ſe periculoſa eſt, niſi alter accedat affectus. Puſtulas quæ in labiis & naribus erumpunt ut plurimùm Febris finem præſagire experientia docet, pariter alvi fluxu,ſudoribus vel inſenſibili tranſpiratione quandoque ſolvitur. Dum cute papulis exaſperatâ Febris ceſſat, recidivæ periculum eſt, quia materia extra vias circulationis omninò non poſita in vaſa ſanguifera redire poteſt.

Demùm quo circuitus ſunt longiores & vehementiores eo quoque Tertiana gravior pronuncianda eſt, & vice verſâ, ex quibus facile patet quale judicium de variis Tertianæ ſpeciebus ſit ferendum. Tandem ætas & conſtitutio ægrotantis, nec non anni Tempeſtas præcipuè conſiderandæ ſunt ut Prognoſis certa afferri poſſit.

CURATIO.

DUO ſunt in Febre Tertianâ intermittente tempora à Medico diligenter notanda, ut Remedia opportunè adhibeat, acceſſio nempe ſeu pars periodi deterior, & intermiſſio, in acceſſione nonnulla facienda, quædam verò in intermiſſione, ſeu acceſſionum intervallo. Rurſùs in qualibet acceſſione hæc quatuor diſtinguenda principium, augmentum, ſtatus ſeu vigor, & declinatio. In principio dum æger alget ſtragulis operiendus, nec-non Manibus, Pedibus, Faciei, cæteriſque partibus calida lintea ſunt apponenda, ut nimia cruoris ſpiſſitudo præcaveatur, ſi hæc irrita fuerint, & frigus adeò creſcat, ut corpus concutiatur, Cardiacis & ſpirituoſis ægro opitulari oportet, ne humores ſpiſſiores cor, Pulmones, cæteraſque præſtantes corporis partes ſuo lentore opprimant. At ubi vires Cardiacis ſunt refocillatæ, & ſtatus pulſûs liberiorem ſanguinis circuitum indicat, ab omni prorſùs remedio abſtinendum, finem frigoris à ſolis naturæ viribus expectando, ni ſtomacho nimiâ ſaburrâ oppleto æger nauſeâ, vel vomitu laboret, naturæ igitur quod moleſtum eſt ejicere conanti Medicus aquâ tepidâ primò ſuccurret, dein, Emeticis ſi neceſſe ſit, Cardiaca eis adjungendo, ſi virium ſtatus illud exigat; vomitum hoc tempore Febris profuiſſe non ſemel docuit experientia, attamen dum vomitus mala graviſſima procreat, ut ſummum virium languorem, anxietates fere intolerabiles, ardorem notabilem in ſtomacho & faucibus, tunc potiùs compeſcendus quam ſtimulandus, ne ſiſtema Vaſorum ad enormes oſcillationes coactum ſanguinis circuitum intercipiat, demùm ſi per rigorem paroxiſmi æger ſiti nimiùm crucietur, os ejus elui poteſt, ubi & ſiccum eſt & ipſi fœtet, à potu tamen ſe abſtineat, ne potu frigidiori cruore magis coacto rigor intendatur; aſt ſi potûs abſtinentiam ferre nequeat, potus calidus conce-

dendus, qui & ſitim mitigare & ulteriorem cruoris ſpiſſitudinem prohibere valet.

Ut primùm calor in partes diffunditur & pulſus vegetior frequentiorque fit, jam Febris augmentum eſt, tum nullus Remediis eſt locus, & per aliquod tempus expectandum, donec Febris ſymptomata magis creverint, ipſaque ad vigorem ſeu ſtatum pervenerint; in hoc ſtatu à Medico ſedulò obſervandum quænam ſit plenitudo pulſus, an arteriæ libere micent, an æſtus humorum, nimiſque celer ſanguinis circuitus, partibus internis labem aliquam minentur, iis enim meliùs occurrere nequit, quam ſanguinis miſſione, in brachio vel talo juxta neceſſitatem celebrandâ, imò brevi repetendâ ſi ſymptomatum vehementia, nimiùs humorum æſtus, pulſûs plenitudo & frequentia, ætas & conſtitutio ægroti ſuadeant, & quamvis ſymptomata Febris maxima non ſint nec ullum partibus internis periculum immineat, ſemper in vigore primi paroxiſmi ſanguis mittendus, ut imminutâ humorum quantitate, Vaſa potentiùs micent, partes craſſas validiùs premant atque dividant & paroxiſmus citiùs finiatur.

Tandem remiſſis majori ex parte Febris ſymptomatis ſæpè ſudor erumpit, aut altera quædam movetur ſenſibilis evacuatio non cohibenda, ſed naturæ viribus committenda, eâ viâ quædam materiei morbificæ portio evacuatur, atque aliàs per eam ad integritatem venitur.

Et ante omnia quæritur in paroxiſmo æger quâ ratione ſit continendus, ſunt qui cibum tenuem, ſorbitiones ſcilicet jure carnium confectas ægris concedunt, alii denegant, & aquæ potum tantùm permittunt, iſtorum methodus & tutior, & morbo magis conveniens eſſe videtur, turgeſcentia vaſorum, ſanguinis æſtus, motus ejuſdem acceleratus, ab oleoſis & pinguibus intenduntur, diluentibus verò mitigantur, igitur jura carnium quaſi nocua in paroxiſmo habenda,

habenda, & aqua tantùm ægris concedenda eſt: illud tamen utique perpetuum non eſt, cum Febris à quodam tempore durat, & æger ob plures acceſſiones aut nimias evacuationes nimis imbecillus eſt, cibus in paroxiſmo non denegandus, nam, ut ait Celſus, „ unum illud & ſemper & ubique ſervandum eſt, ut „ ægri vires ſubinde aſſidens Medicus inſpiciat, & „ quandiù ſupererunt abſtinentiâ pugnet, ſi imbecil- „ litatem vereri cœperit, cibo ſubveniat, id enim „ ejus officium eſt, ut ægrum neque ſupervacuâ ma- „ teriâ oneret, neque imbecilliorem fame perdat.

In die à Febre liberâ æger modicè cibandus, ab eſu carnium, fructuum, olerumve ſe abſtineat, offis aliiſque ſimilibus veſcatur; in eâ quoque remedia adhibenda ſunt Febris curationem à purgantibus & emeticis inchoando, quæ tantæ ſunt in hujus Febris curatione efficaciæ, ut abſque illis vix tutò profligari poſſit; imò ſi ſtomachus copioſâ ſaburrâ ſit oppletus emeticum ſat potens exhibendum eſt. Evacuantibus bis aut ter repetitis expurgatâ primarum viarum ſaburrâ, craſis ſanguinis ſpiſſa & denſata nimis emendanda, viſque organorum chylum conficientium corroboranda, ad id obtinendum nihil cortice peruviano præſtantius qui amaricante ſapore præditus, & lymphis digeſtivis ſummè analogus ciborum coctionem juvat, ſanguinem dividit, partes ejuſdem craſſas liquat, & nativam fluiditatem conciliat, is in pollinem tenuiſſimum redactus, aquæ ſufficienti quantitate dilutus qualibet intermiſſionis die ter quaterve ad Dragm. ij. exhibeatur.

Vim Febrifugam Kinækinæ adjuvant Theriaca, in primis ſal ammoniacum, cæterique ſales lixivioſi, idem præſtant plantæ inſigni amarore præditæ, ut chamœdris, abſynthium, & centaurium minus Febrifugum ab antiquis nuncupatum; cortex peruvianus in harum decocto dilutus Febri potenter medetur, uti experientia pluries docuit. Cætera taceo tam ſimplicia

quàm compoſita remedia quibus ad Febrem iſtam debellandam non-nulli utuntur, ne opus ultrà debitos limites extendatur; ſilentio tamen prætermittere non poſſum acida quæ non-nulli in hac Febre ſuadent, ut ſpiritus ſulphuris, aluminis, aliorumque ſimilium quæ ſanguinem ulteriùs inſpiſſando viſcera replent, ſecretiones imminuunt, & affectus lethales ſæpè concitant, hæc profectò meritò damnanda, cum Febrem profligare non valeant, ad ſummum ipſam veluti ſopiunt, ut dein vehementiùs recrudeſcat.

Aſt ubi neque his Febris ſolvitur, purgantibus magis inſiſtere convenit, quæ nervos inteſtinorum ſtimulando, cæterorum vaſorum oſcillationes augendo, humores dividunt, vaſa excretoria in inteſtinorum cavo hiantia ampliant, & liberiora reddunt, ſicque uberiorem ſuccorum excretionem movent, quâ ſanguis materiâ morbificâ abundè ſe exonerat, ni natura excretionem cutaneam ſpontè moveret, tum rejectis purgantibus ſudorifica præſcribenda forent, non ſolùm quia juxtà Hypocratem *Quò natura vergit, eò ducere oportet*, at in primis quia hæc evacuatio eam quæ fit per inteſtina multùm excedit, ita demonſtrante Pitcarnio, ac propterea major ſpes affulget Febris curandæ, docet tamen experientia Febres Intermittentes alvino fluxu ſæpiùs quàm ſudore ſanari, id autem ex eo fieri opinamur quod materia morbifica Febris Intermittentis, utpote multùm ſpiſſa, difficile in particulas minimas ſolubilis ſit, quæ ſuâ tenuitate ductus ſudoriferos exilitate inſignes permeare queant.

Demùm ſi hæc irrita fuerint Tertiana in alteram Febris ſpeciem convertitur, vel obſtructiones viſcerum parit, aut ipſa abſque ullo ſervato ordine recurrit, adeòque non integra expectanda morbi ſolutio, niſi aperientium uſu, & humorum ſpiſſitudo & viſcerum obſtructio penitùs reſeretur.

FINIS.

D. D.

JOANNI GUILLEMEAU
Niortenſi.

Primam Apollinarem Lauream ambienti.

JAM Phœbum cingit facundum Heliconia turba
Parnaſſique tuo nomine Templa ſonant.
Jam tibi maturos Pallas largitur honores,
Et Febris victæ nuncia Fama volat.

Obtulit hæc debitum amicitiæ Pignus, PETRUS LEVANS Lugdunenſis, Art. Lib. Magiſter & jamdudùm Medicinæ alumnus.